

cios et confœderatos a nobis separarent, et hispanos in Italiam sub salvoconductu cum Pontifice traductos, qui nunc Insubria contra nos militant; his quoque malis accedit quod nuper audivimus Sanctissimus Dominus Nostrus consilio quorundam ordinis vestri usum velle sub censuris trienes indutias in perniciem nostram facere, cum tamen nos ad studia pacis semper esse paratos senserit, nihilque prætermisum sit a nobis ut eam tandem consequi liceret, et proinde nostros oratores Calisii multos menses subsistere iussimus, et deinceps, mortuo Leone, designatoque in pontifice Hadriano contra sententiam multorum qui fidem eius vobis iure suspectam esse debere contendebant, nihilominus ab eo requisiti misimus unum ex secretariis nostris cum potestate pacis firmandæ, quam penes eum esse permisimus. Quem cum Niciae offendisset audita mox legationis causa, respondit causam pacis ubi Romam appulisset ex animo amplexurum, quo postea cardinalem Ausitanum destinavimus cum potestate ut pacem conficeret. Cum vero Sua Sanctitas sub pretexto defendendæ religionis enixe nos rogaret, ut ad faciendas indutias animum nostrum vellemus inducere, scripsimus tum nos et ad pacem et ad indutias paratos esse, et quoad repellendos turcharum conatus qui Italiæ videbantur irruere, vires nostras libenter explicaremus, modo ducatus Mediolanensis a quo per iniuriam fuimus depulsi nobis redderetur. Quam conditionem cum idem Sanctissimus sibi non placere dixisset, quod turchica negotia magis vigeant, quam ut liceret expectare dum Mediolanum redderetur, in quo sciebat hostes longas moras de industria texturos, ne id facerent. Mandavimus ipsi cardinali Ausitano per litteras ut Sanctissimo Nostro diceret, velle nos in sua gratia oratores Romam mittere cum potestate firmandæ pacis vel indutiarum, et interim dum tractatus fieret, consentire ut quies utrimque ab armis esset prorogandi tempus; quibus rebus id nos merito speramus consecutos, ut quantum ad pacem attinet nihil amisisse videamur. Quod si coeteris quos negocium tangebant, eadem placuisset via, forsitan non fuisset tam operosam firmandæ pacis rationem, inirequam vulgo credatur, vel saltem indutiæ longi tempus sub honestis conditionibus intercessissent, quæ pacis instar haberent. At postquam intelleximus eundem Sanctissimum Nostrum de consilio quorundam ordinis vestri velut in dicta causa, neque auditis partibus velle indutias puras absque ullis legibus aut conditionibus facere quæ nimirum cederent in grave dispendium rerum nostrarum, scripsimus ad

oratores nostros, qui iam iter ingressi fuerant, ut retro pedem referrent, iam enim ex litteris nostris Sanctissimus et vos intelligere potuistis indutias ad defensionem christianæ religionis supervacandas fore, quod interim principes christiani, qui gravi inter se bello dissident pro defensione fidei vires suas non explicabunt, neque pecunias in id expendent. Verito, ne finitis indutiis omnibusque belli præsiidiis nudatis suis hostibus cedant in prædam, Leo pontifex sub pretexto turcharum, qui ferebantur primo quoque tempore in Italiam irruptum, quinque fecit indutias, at priusquam eas concluderet, ipsa de re communiavit cum oratoribus principum christianorum qui Romæ erant, ut ipsi suum quisque principem commonefacerent. Et quia nulli dictorum principum moleste dispendioseque videbantur, perinde ac si eas tacito quodam consensu ratas haberent, ipsas conclusit; data tamen, visis ad eam rem dictorum principum instructionibus, cuique principi formula et lege quam teneret, sive turchis invadentibus resistendum esset, sive bellum illis intra suos fines ultro inferendum, quæ etiam ratione nummi ad impensas belli sustinendas colligi possent, et ad quos potissimum captæ de hostibus terræ pertinerent, ne qua subesset inter principes discordiæ causa, atque cum ita factæ essent, pauci tamen principum eas acceptarunt, inter quos tam diu sancta fuit earum observatio, donec ipse Leo primum in lige a se latam prævaricaretur et iniustum nobis bellum moveret. Quo tempore, constabat turchas gravi obsidione Belgradum cinxisse, verum ut fertur, Sanctitas Domini Nostri vult per se nullo principum consilio, nulla rei gerendæ formula data, sine legibus aut conditionibus puras indutias facere, ut ad eas diris imprecationibus spiritualique gladio christianos principes adstringere; quos si paterno animo omnes equo iure censuisset, debuit quoque nostri meminisse, cum hostibus nostris apostolicas bullas concederet impune pro re numeraria exigenda: sed demum factas indutias, quis tum vellet primus acceptare eas et ab armis discedere, ni mirum explorabit quisque quid hostes sui de indutiis sentiant, quid capient consilii, quas tamen si unus et alter prompte recipiant. Ea res protinus coeteros in suspicionem adducet. Quantum autem ad censuras attinet, si faceret Summis Pontificibus suo iure principes et reges christianos levi de causa ecclesiastico gladio ferire, id procul dubio foret valde periculosum et pessimi exempli, credimusque non paucos futuros qui auctoritatem regiam defendant adversus tantam audaciam, neque sin autem

178*

179